





HORTVS POETICVS.

*Solemnitati nuptiarum*

NOBILIS,

CLARISSIMI EX-  
CELLENTISSIMI QVE

Viri, Dn: IOANNIS GEORGHII à BUCHOVV  
Brandenburgici Saxonis de Monchor, Philosophiæ,  
Iuris Vtriusq; ac Medicinæ Doctoris, &c. Sponsi, quas pri-  
mas cum magno omnium gaudio literisq; excultorū ap-  
pulsu, cum Nobili ac pudicissima Matrona MARTHA  
ZILLINGERIN præstantis quondam D. Martini  
Schödl Senatoris Pofoniensis relicta Vidua,  
Sponsa, &c. celebrabit.

*Honoris & amoris ergò excultus &*

*A*

Florida Horti Musa Reverēter  
Consecratus Hodie.

*3. Non: Maij An: M. DC. XIII.*



# LIBELLVS.

## Ad Lectorem.

**S**Um varia mistus versu atq<sup>3</sup> Epigramma  
te cultus:

Hanc faciem tribuit florida Musa mihi.  
Sic vernant horti, sic Majus flore serenat  
Campos, hac forma pingitur ipsa Venus.

Austera qui vis mea carmina fronte tueri,  
Non placet hoc, dicens, displicet illud, abi  
Sis procul, esto foràs: Canibus non hortum,

Nec denti anguino, Mome, patebit, ab  
Admitto Castos, Synceros, felle carentes,  
Archilochus ruscum mordeat atq<sup>3</sup> typham

Jambi

*Famibi dedicatorij*  
AD NOBILES ET VTRINQUE  
FELICES SPONSOS.



**M** Aij recurrunt tempora,  
Secumq; ducunt gaudia,  
Violas, Rosas & flosculos,  
Amænitatis æmulos.  
Zephyrus tepores explicat,  
Et Flora odores temperat,  
Flat Aura jam benignior,  
Canit volucris suavior,  
Aurora spirat balsama,  
Sol prata pingit aurea,  
Arbor comis fit celsior,  
Et unda stillat purior.  
En lilium Convallium,  
Et thymbra cum sisymbrio,  
Myrthoq; rident Cypridi,  
Amoris & Satelliti.  
Venus creatrix gentium,  
Iam corda jungit, dulciter  
Fundens amorem pectori,  
Miscens amoma nectari.  
Venus voluptas conjugum,  
Et dulce amoris vinculum,  
Dilectionis flammulas  
Diffundit in Iuenculos.  
Hæc tibi, GEORGI, lacteam  
Propinat ecce Cymbiam,  
MARTHÆ simulq; poculum  
Infundit inde melleum.

Mel Sponsus esto, melleas  
Sponsæ ferens faventias:  
Lac Sponsa sis, & lacteas  
Sponso seras lubentias.

In ore lac sit perpetim,  
In Corde mel sit affatim,  
Os melleum sit lacteum,  
Cor lacteum sit melleum.

Stillet thoro lac melleum,  
Thalamo fluat mel lacteum,  
Mel lingua det per oscula,  
Lac Corda dent per suavia.

Cùm melle lac ut jugiter,  
Cùm lacte mel ut largiter  
Concurrat, ecce vernulum  
Confecro vobis hortulum.

Hic hortulus sit floridus,  
Purus, beatus, blandulus,  
Ferax, honestus castulus,  
Et castitatis æmulus.

Non Hybla tot det flosculos,  
Nec vineæ racemulos,  
Quot hortus iste prospera  
Vobis virescat gaudia.

Hic sedeat ipsa Amænitas,  
Hic Conquiescat Charitas,  
Incunditas hic germinet,  
Securitas fructificet.

Hic mel fluescat lacteum,  
Hic lac resultet melleum,  
Ex melle lac manet novum,  
Ex lacte mel roret novum.

Mel

Mel masculina pignora ,  
 Lac fæminina Corcula,  
 Progignat illud filios,  
 Propaget istud filias.  
 Sic hortus iste melleus,  
 Sic hortus iste lacteus,  
 Beatus atq; amænulus ,  
 Excultus atq; floridus,  
 Sacratus atq; Candidus  
 Ornatus vsq; floribus,  
 Refertus vsq; fructibus,  
 Longo virescat tempore  
 Omnis mali absq; turbine.  
 Musæ hoc precantur florida.

SPONSVS.

*Q* Vos hortos memoras , recitas qua germina jambo?  
 Lac toties, toties mel mihi quid repetis?  
*An* quia Majus adest Veneri gratissimus hospes?  
 An quia fert Zephyrus florea ferta Comis?  
*Ne*, tibi veridica per lauri oracula juro,  
 Arcanos sensus Carmina vatis habent.  
 Elysios vix sic Campos laudaverit unquam  
 Ingens Hesperidum aut rura sacrata Maro:  
 Hic quantum extollit violaria verna, mihiq;  
 Commendat Maij tempora lata novi  
 Forsitan vt Medico mihi præbeat hortulus herbas  
 Mellifluas, jambi metra tenella canit?  
 Forsitan in verno vt floresq; roseq; thymusq;  
 Me lætent horto Carmina blanda sonat?  
 Horum sit quidquid, mihi pandas Musa: Secreta  
 Mystica nam sacris Vatribus esse solent.

MVSA

MVSA SPONSO.

**V**ER venit, & viridi Tellus opulescit amictu,  
 Agricolisq; iterum florida cura redit.  
 Tu solus vernoq; novoq; labore, GEORGI,  
 Expers esse queas? Non finit istud Amor.  
 Hic te per Vatem florentem invitat in hortum,  
 In quo lac & mel, flosq; decorus inest.  
 Floribus è cunctis fas est tibi carpere: Quem vis  
 Se junget votis flosculus ille tuis.  
 Adsis; præ reliquis VIOLAM hanc & conspice: Nonne  
 Delitias animo commovet illa tuo?  
 Fusca est (confiteor) Xanthi sed qualis ad vndas  
 Pastori junxit Cypria Diva latus.  
 Nigra est, ast formosa oculis, formosa labellis,  
 Digna vel eximii Consulis esse nurus,  
 Digna Senatoris vel primi induciet aulae,  
 Dignior ast docto jungere corda viro.  
 Horti MARTHA decus, Spes, & tua, Sponse, voluptas,  
 Quæ tibi jam Violas spirat & ore rosas.  
 Lacte rosas mistas, violas ast melle madentes,  
 Hæc pactant thalami vincula sacra novi.  
 Felix agricola es, felix flos, dignus uterq;  
 Quæis prolem thædæ delitiasq; ferant.

VOTVM PROSPERITATIS.

**A**Dsit utriq; bonum, Spes sit rata, plena voluptas,  
 Absit utriq; malum, metus, dolor inde facessat.

NYMPHÆ VENERI.

**A**D te nos misit sapiens atq; inclyta Pallas,  
 Ut MARTHAM Sponso des, Venus alma, tuam.  
 Sponso cui Phæbus pater est, Prudentia mater,  
 Cui genus, ingenium & par tribuere decus.

Cris



*Cui frondet laurus, cingit cui tempora clarus*

*Doct̄oratus honos, tempora rara nimis.*

*Hic jus divinum, mundanum, sacrasq; Camana*

*Possidet vnus opes, Doct̄or in arte triplex.*

*Huic parent flores, herbarum copia, tellus,*

*Horti, Flora, nemus, germina, rura, thymus.*

*Naturas rerum novit, nam Dia recessu*

*Hunc pavit Cliūs lacte Minerva suo.*

*Hinc fit quod Sponsam tam Salua fronte rogemus,*

*Si potes hanc salua fronte negare, nega.*

### VENVS NYMPHIS.

**V**Os quæ Pannonio sub axe Nymphæ,

Iudentes per amæna prata Nymphæ,

Pisonis juga montium tenetis:

Dum formosus adest & arua pingit

Majus purpureo Colore florum,

Dum Syluæq; virent Comis, & aër

Lætis alituum sonat querelis:

Dum flos, dum violæ vigent, rosæq;

Adspirant geneale ver juuentæ,

Comptos cingite frondibus capillos;

Et mox nuntia ferte nostra MARTHÆ,

Vt sit Sponsa mei decens GEORGII,

Vt sit delitium & mei clientis.

Hoc nam jure bono bonum relatum

Ejus Conditionis amplitudo,

Ejus mentis acumen invidendum,

Ejus nominis vndiquaq; clari

Felix nobilitas meretur vsque.

Hanc ipsam toties petitam amore

Multorum, volui negare multis,

Vt isti fieret marita MARTHA.

Sic

Sic servata fuit decens Vlyssi  
Conjux Penelope decem per annos.  
Ad nouum subito redite Sponsum,  
Ipsi & conueniens nimisq; gratum  
Responsum referatis ô sorores.  
Quæ restant peragent meo rogatu  
Flora mater amica flosculorum,  
Atq; Iuno patrona nuptiarum.

FAVNVS.

**T**andem ades, ô mea MARTHA, recens tibi Casus & lues  
Ad fontem, pendetq; gravis fiscella sub alno:  
Te Cucumis Viridisq; pepon, hortensia dona,  
Te seruata cauo jam pridem subere mella  
Expectant sitientem, & dulcis neclaris haustus.  
Quid cessas mea MARTHA? Duas tibi pasco capellas,  
Atq; duas Drostas tibi seruo, MARTHA venito.  
Est mihi præterea thalami seposita supellex  
Supparus, hunc neuit Lyrineja, texuit Alcon.  
Conjugis & tradam tibi lintea picta prioris,  
Et vittam stringit quam nexo fibula nodo,  
Vel tibi ut inuideat Lalage: Mea MARTHA venito.  
Deformis non sum, nec pauper: Cernis honore  
Me quanto Sylvana cohors observat euntem  
Per Campos gressu tardo vultuq; severo.  
Te vocat in thalamum dulcis mea fistula, MARTHA:  
Dùm Cano, Pan, Olcas, ipse & miratur Amyntas.  
Ergò veni, Mea MARTHA veni, nec spernito Faunum.

NAPÆA.

**Q**uid fistulas? Quid munera  
Promittis inter Cantica?

Frustra

Frustra Canis, nam rusticus  
Conatus hic contemnitur.

Quod postulas non obtines,  
Votum tuum politior  
Prævenit absque fistulis  
Et Faunicis concentibus.

Restat nihil: Corbem hunc cape  
Domumq; vade Rustice,  
Ignes tuisq; fistulis  
Mopsæque amorem quærito.  
MARTHA en datur GEORGIO.

H Y M E N Æ V S.

**E**ffugisse malum quisnam Glaucilla, negabit,  
Qui Veneris Syrtes, ignes & vicit Amoris?  
Invenisse bonum quisnam, Glaucilla, negabit,  
Qui Viduam & VIOLAM verno lucratur in horto?

I V N O.

**Q**Vos fata fausta Copulant  
Et Conjugale vinculum,  
Sint Copulati amæniter,  
Sint Conjugati suaviter.

Vos vincolo amoris invicem  
Sicnecto, sic constringoq;  
Ut una mens fiant duo,  
Semper volens, nolens idem.

F A V N V S.

**F**ama volat VIOLAM sponsalia sacra dedisse  
Phæbi Galeno filio.

B

FAMA

*Fama meam hæc ludit spem: Nam me ferre repulsam.*

*Notat relata sportula.*

*Quis credat viduis? Huic tot mea fistula cantus*

*Dulces deditq; voculas:*

*Et tamen excludor. Gemitus mihi Spes mea cur das?*

*Fallo atq; alo: Spe vivitur.*

### DOLOR OCULTVS.

**A***Nte duos annos has quis, mi Faune, putasset*

*Nostrum futuras nuptias?*

*Cui Dij cuiq; Deæ cælesti sede favorem*

*Elargiuntur, Sponsus est.*

*Nam virtus potis est nulla convellier arte,*

*Compressa surgit altior.*

*Phæbus præcedit Faunos: Quid possumus? Et nos*

*Olim beabunt numina.*

*Ac licet invideam Sponsis, tamen vsq; precari*

*Clam cogor ipsis prospera.*

### FLORA.

**H***ortum Construxi Musis & Apolline dignum,*

*Quem vario pinxi germine vere novo.*

*Atq; huc allexi blando sermone volucres,*

*Maij temporibus quæ modulamen amant.*

*In tres hasq; choros distinxi, gutture suavi*

*Vt psallant Sponsis carmina grata meis.*

*Sic Venus ipsa iubet, sic clarus mandat Apollo:*

*Imperium ad superum musica turba cane.*

*Si tibi Sponse minùs ridebunt metra volucrum,*

*MARTHA suum adjungat dulciter ore melos.*

### PRIMVS

PRIMVS CHORVS.

**P**Rimi reatrix Philomela chori  
Esto: Cui subsint modulantes  
Circio, Calidris, Certhia, Spinus,  
Parus, Cinclus, Chloris, Hirundo,  
Caudam Moticilla movensq;

MELOS IAMB:

**Q**Vale hortulis florentibus  
Formosa præbent **LILIA**  
Decus virente tempore:

Tali est sua Sponsa novus  
Sponsus, venustus & gravis  
Amore latus florido.

Vt **VIOLA** diffundit nova  
Gratos odores, lumina  
Colore purpureo levans:

Sic Sponsa permulcet sui  
Pectus mariti candidum,  
Operante motu intus novo.

Quemadmodum cum compare  
Abs felle **TVRTVR** turture  
Et absq; lite agit dies:

Sic absq; lite abit dies  
Conjugibus ipsis, in quibus  
Cor unum & una mens viget.

Hæc mutua ergo fœdera  
Quandoquidem in istis conjuges,  
**MARTHÆ** tua esto **LILIVM**

Mi Sponse; Sponso **VIOLA** sis,  
O **MARTHA**, sive Rosmaris:

*Agatis instar TVRTVRIS  
Ævum, hoc precatur hic chorus,  
Prima & cohors hęc oscinum.*

PSITACVS ADDO:

MARTHA Ô MARTHA mihi simul & salveto GEORGI,  
Cum Sponso salve MARTHA marita tuo.

MEDICINA.

*S*aucius & telo casti Confossus Amoris,  
En medicus medicam sepe petivit opem.  
Hei frustra: Nullis Amor est medicabilis herbis,  
Nec grave pœonia tollitur arte malum.  
Ergò alios medicos alios & Consulit hortos,  
Et te subsidium MARTHA venusta rogat.  
Quid sibi vult hoc? An sanas MARTHA Galenum?  
Sic est: Nam postquam te tenet ille, valet.

SECUNDVS CHORVS.

*C*Hori at alterius Merula exultans  
Esto Capellæ docta magistra:  
Adfistat Linaria volucris,  
Prunella, Emberiza, Cothurnix,  
Canaria, Citrinella, & Acanthis.

Concent: Hendecasyll:

*M*MARTHA cui Veneris favent vireta.  
Dum ver purpureum, virens, venustum  
Vultu splenduit elegantiori,  
Et aura ambrosia hortulos decoros.  
Gemat tempore temperantiori,  
Quid Sponso, tu age, muneris novelli  
Mittis? Delitiis quibus tenellis  
Perfundes animumq; Cor & omnes

*Affectus.*

*Affectus, genium & Comas GEORGII?*

*Quid mittam petitis? novam coronam  
Flosculis variis ligatam in horto,  
Favo nectareo suaviolem,  
Odore assyrio potentiolem,  
Sabæis violis fragrantiolem,  
Messibus Cypriis valentiolem,  
Lauru virginea virentiolem,  
Quæ vincit decus omne flosculorum.  
Sint breves viola nigri coloris,  
Et sint lilia Candidi nitoris,  
Sint & purpurei rosæ ruboris.*

*Non hac ille petit: Resolve sertum:  
Tu Sponso VIOLA es novi favoris,  
Præbens lilia amana castitatis,  
Et rosas seminans purpurati amoris.  
Rostris dulcibus hac aves secundi  
Chori promptissimus hortulo sereno.*

*Cuculus ore  
Annos longævos Sponsis decanto beatis:  
Multiplicoq; Cucu, centuplicoq; cucu.*

### SPONSI FELICITAS.

**D***vixisti uxorem pulchram simul & locupletem:  
(Sic ordo fati sic voluere Dij.)  
Addat quis plures huic dotes nescio? Nil hic  
Ars humana potest, cuncta dedere Dea.  
Martham nam fecit locupletem Iuno, Minerva  
Prudentem, pulcram corpore pulcra Venus.  
Sic Paris es BVCHOW: Imò felicior illo:  
Quæ precor ut dextris fors eat auspicijs.*

*Nam Venus huic facilis fuit unica Diva, sed una hac  
Tres tibi sunt faciles, Iuno, Minerva, Cypris.*

**TERTIVS CHORVS.**

**S**IT Drosta chori tertia Rectrix:  
Cantabunt sub ea Loxia, sturnus,  
Serinus, Acredula, & Oriolus,  
Luteola, Anthus, Curruca & Olor,  
Tactum Pica cauda datura est.

*Hymnus Sapph:*

**S**Æpius florum veneranda mater,  
Ad tuum nutum modulante rostro  
Fundimus Casto thalamo sonorum  
Carminis hymnum.

*Pfallimus Sponsum canimusq, Sponsam  
Hæc Venus forma sit, at ille Phæbus  
Arte; Sic rectè modulamur: Esto*

**MARTHA GEORGII.**

Sponse da **MARTHÆ** viridante in horto  
Lilium vernum, Veneris rosetum,  
Dexteram mollem, genium faventem,  
Oscula Casta.

**MARTHA** da Sponso thalamo in novello  
Floridum sertum, Violas amicas,  
Candidum pectus, fluidum labellum,  
Cor & amorem.

Sponse dic **MARTHÆ** bona verba: Nam te  
Ipsa præ cunctis veneratur illis,  
Qui rosas ejus violasq, nigras  
Expetièrè.

**MAR.**



MARTHA da Sponso bona verba: Nam te  
Ipse pra cunctis venerantur illis,  
Qui sacras ejus charites & artes  
Usq; rogarunt.

Sponsa fer Sponso gremium tenellum,  
Sponse fer Sponsæ tepidum labellum,  
Addito morum genium; beata  
Suavia lingua.

Da Venus Sponsæ Charitum loquelas;  
Melleos artus, lepidos favores,  
Corculum blandum, faciem serenam,  
Lumina grata.

Sponsæ sis MARTHÆ placidum frutetum,  
MARTHA sis Sponso rutilum rosetum,  
Vnde florescat generis propago,  
Pignora lecti.

Claudimus cantum volucres sonorum:  
Tu subi docti thalamum mariti,  
Sponsi & assuescas age jam vocari  
MARTHA GEORGII.

Gallus ab astris

Cristatus thalamo designo tempora cantu  
Aurea, dum repeto Cucuri cu curicu.

ORIGO VIOLÆ.

Pastor erat pulcræ viduæ succensus amore,  
Dulcia cui curæ germina semper erant.  
Abditus arboribus secreto hic Pastor in horto,  
Nil præter viduam cogitat atq; canit.  
Hinc desiderio tabescens mæstus inani  
Concidit, & vidua ô, dixit, amata Vale.  
Phabus.

*Phæbus Amatoris casum miseratus acerbum,  
In Violam corpus jussit abire novam.  
Hinc color est viduus violis, odor optimus, hortis  
Crescit, & en Sponsi cingit amana comas.*

**DRYAS.**

In hortulo Poëtico  
Inter rosas & lilia  
Fiant nouæ cur nuptiæ  
Quæris Iuuentus optima?  
Mirêre nil: Primus parens  
Adamus in sacro hortulo  
Eux fuit junctus suæ  
Sponsore summo numine.

In hortulo GEORGIUS  
MARTHÆ ligetur arctius,  
Primi parentis subsequus  
Sudoribus, laboribus,  
Sudor, labor num displicent?  
GEORGIUS laboribus,  
Sudoribus GEORGIUS  
Et nomine & re seruiat.

**PHILOMELA MATV TINA.**

**G** *Ratus flammifero sol est cum splendet olympo,  
Grata rosa est cujus suavi pascaris odore,  
Gratus est rivus Violaria cerula rorans,  
Sum Philomela meo modulamine grata voluptas,  
Est gratum gramen quia præbet molle levamen,  
Est gratus somnus fessis sub fronde virenti:*

*Gratior*

*Gratior est nostro sponso dulcissima sponsa,  
Sole, Rosa, Rivo, Philomela, gramine, somno.*

### LIS FINITA.

**L** Is est, num Virgo, Vidua aut sit sponsa marito  
Ducenda in thalamum : Lis ea fine caret.  
Virgo suam formam, Vidua aut ornata decorem  
Explicat, illa rosas, spargit at hæc Violas.  
Illa rubet faciem, vultu sed purpurat ista,  
Illam ferta umbrant, hanc bene vitta tegit.  
Virgo spem prolis juvenili corpore spondet,  
Aut Viduæ sunt jam pignora certa thori.  
Virgo blanditias loquitur, Viduam comitatur honestas,  
Huic Iuno, aut illi fert Venus obsequium.  
Virginitatis opes præterdit Virgo nivescentes,  
Aut Vidua ornatum pectoris atq; animi.  
Lis est longa nimis : Satis est, sententia claudat  
Iudicis, ut nusquam lis sit aperta viris.  
Virgo puella rudis discat parere marito,  
Aut quantas poscit res ea blanditias ?  
Inde virum vidua atq; domum curare perita est,  
Vix satis est rebus Virgo tenella suis.  
De vidua dico præstet quod virgine : Causa est,  
Quod melius leges noverit ipsa thori.  
Quippe hanc gallinæ, philomelæ comparo rectè  
Illam : De binis Sponsus habet Viduam.

### MERULA DIVINA.

**Q**ualis vernus honos hyblæis regnat in hortis,  
Qualis nocte nigra lucens Carbunculus ardet,  
Qualis pangeos vestit rosa rosida colles,  
visa fuit gradiens sua MARTHA GEORGO.  
rior aurora est nam sponsa & Charior auro.

C

Floridior

*Floridior violis, Veneris formosior astro,  
Nobilior gemmis, pictis ornatioꝝ herbis,  
Blandior & Nymphis, Helena speciosior ipsa.*

#### DELITIÆ.

**N**Arcissum, violas, rosas, amomum,  
Myrthos, & meliloton atq; Chalthas,  
Rores inde maris, crocum, papauer,  
Mentham, marrubium, thymos, hyfopum,  
Thymbram, lilia, Salviam, ligustra,  
Flores, florea ferta, fraga, mel, lac  
Fundo delitias, amænitates,  
Lusus, gaudia, recreationes  
Ex horto Domino & meo marito.  
His addens animum fruentiasq;  
Aut si his est reperire blandius quid:  
His addens genij lubentiasq;  
Aut si his est reperire mollius quid:  
His addens thalami facetiasq;  
Aut si his est reperire dulcius quid:  
Risus, oscula, fabulas, jocellos,  
Cantus, suavia, Corculum, favores,  
Et quoscunq; thorus fovet lepôres.

#### DROSTA VESPERTINA.

**O***Rpheus Eurydicen ingenti ardebat amore,  
Candida Penelope cautum dilexit Ulysem,  
Pulcram Helenam Paris, & Daphnen Latous Apollo,  
Pan Deus Arcadiae Syringa, Venus inclyta Adonim;*

Deperit eximium generosa ast MARTHA GEORGV M:  
Illum tam eximium dum sponsa decora adamabit,  
Non Helenam Paris, aut Amathusia amabit Adonim;  
Dumq; suam MARTHAM generosus sponsus amabit,  
Non Pan Syringem, Daphnemue sequetur Apollo.  
Fructus amoris erit tanti quis? Pulcra propago,  
Post hac quæ flores legat atq; hoc ludat in horto.

*Invido livori.*

**E**N me persequitur Glauci petulantia : Quid tum?  
Transijt in thalamos MARTHA venusta meos.  
Me fuci oderunt liventi pectore : Quid tum?  
Fuci nil prorsus sedulitatis habent.  
Ringitur os illo tum contracto lumine : Quid tum?  
Ira nihil penitus viribus absq; nocet.  
Rumpitur hic, dolet ille : Novum nil. candida virtus,  
Et fortuna decens sic stabilita vigent.  
Dum VIOLAM carpolateat malus anguis in herba,  
Suavio dum VIOLAM, livide, tu pereas.  
Audi, pro VIOLA Ruscum tu lambe Xyrinq;  
Hic tibi nil Iuris, Glaucule, MARTHA mea est.  
Hæc mihi dum spirat mel, lac atq; oscula grata,  
Fel & acetosos livide fers stimulos.  
Invidet Invidia ob MARTHAM mihi fellea : Quid tum?  
Invidia invideat, nil nocet invidia.

**M E D I V M.**

**Q**uod nimium est, vitium est : Medium tenuisse beatum est,  
In medio virtus stat, viget, & superat.  
Hæc MARTHÆ Sponse servit benè regula : Non vult  
Alta nimis, nec quod dedecuisse queat,  
En rosa pulcra rubet, candent ast lilia pura,  
Purpurat in medio MARTHA velut Viola.

RECURSUS AMORIS.

Voce Iubilemus, Admonente charitate Læ-  
ta verba canamus alleluja,  
Vinculumq; Prædicemus ore quæso con-  
jugale.

*Quacumq; à voce incipias hos dicere versus  
Currentes, stabit Circulus iste benè.  
Semper enim in seipsum non falsa lege recurret,  
Sic eat & redeat Connubialis amor.*

FORMICÆ.

**I**N hortulo poetico,  
Quid vos meæ formiculae  
Obambulatis liberè  
Rostris trahentes granula?  
Docemus hoc laborculo  
GEORGIUM domesticas  
Augere multum reculas,  
Et ferre curas anxias.  
Acervus hic ex granulis  
Confurgit atq; sarcinis  
Paruis : Domus fit auctior,  
Addis parum dum parvulo.  
Formica formo vt horrea,  
Famem timens & frigora,  
Sic tu GEORGI prospice

Servis,

Servis, gregi atq; conjugi,  
Nec sperne quod tibi suggerit  
Formica prudens hospita.

### SOLICITUDO PIA.

**H**ospita Martha tuam dum laudem, Christe, meretur,  
Curat domum turbatior.

Dum pietatis opes Magdalis ab ore docentis  
Haurit, sedet modestior.

Est bona pars curare domum, pars optima Christi  
Audire sacra oracula.

Vt placeas sponso Martham tu Martha sequaris,  
Placere sponso est res bona.

Vt placeas Christo Magdalin queso imiteris,  
DEO placere est optimum.

### APIS.

**Q**uid hunc mellita pervolas  
Hortum, libasq; flosculos  
Apis operosa dicito?  
Ex flosculis odoriferis  
Rorem fugo, favos paro,  
Mel congero dulcissimum.  
Artem quis hanc mortalium  
Imitetur? Hac solertia  
Præsigno MARTHÆ qualiter  
Sponso suo sit mellea,  
Mellita, dulcis æmula  
Apum labore sedulo.  
Dat mel apis cum gaudio  
Hero, tuo dulcedinem

Da MARTHA tu GEORGIO.  
Tristem suavi verbulo,  
Lassum sereno lumine  
Solare : Mel hoc gratiam  
Operabitur, dans lectulo  
Prolem diesq; prosperos,  
Mellitulosq; filios,  
Mellitulasq; filias,  
Noctes diesq; mellicos,  
Annos vobisq; floridos.

### HESPERVS.

**E**N Hymeneus adest croceo velatus amictu,  
Floridulis pulcer fertis, roseisq; cothurnis  
Conspicuis, spargit thalamo benevolentia dona,  
Et profert dulces felici lumine tadas,  
Splendida confirmans tali connubia voce:  
Tàm junctis manibus connectite vincula amantes,  
Quàm crinali hedera frondens constringitur ulmus,  
Quàm bicolor placidis oneratur populus vis,  
Quàm viridis viridi palma offert oscula palma.

### APPLAVSVS.

**T**ibia personet,  
Fistula concinat,  
Tinnula concrepett,  
Barbita jubilent,  
Nablia plausitent,  
Organa consonent,

Cornua



Umg. VI 6

ULB Halle

3


005 905 370



VD 77







Farbkarte #13

B.I.G.



POETICVS.  
*nuptiarum Bursay*  
 ILIS,  
 SIMI EX-  
 ISSIMI QVE  
 GEORGII à BUCHOVV  
 e Monchor, Philosophiæ,  
 Doctoris, &c. Sponsi, quas pri-  
 gaudio literisq; excultorū ap-  
 cissima Matrona MARTHA  
 ntis quondam D. Martini  
 oniensis relicta Vidua,  
 c. celebrabit.  
*is ergò excultus &*  
 A  
 Musa Reverēter  
 tus Hodie.  
 : M. DC. XIII.

